

P V I S

1 6 1 1



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Ec. 50.

9
BARTOLE
MAEI BILOVII

EPIGRAMMATVM

LIBELLUS XXI.

In Symbolum Biloviannm.

Spes mea Christus erit: Durum Patien-
tia vincet.

BILOVII in CHRISTO dum spes est fixa Poëta;
Atq; animo atq; anima consulit ille sua.
CHRISTVS in adversis illum hant succumbere
rebus,

Nec fortuna unquam ludibrium esse sinet:
Quin illi adsidue durum patientia frangat,
Et regat hunc stabili spes solidata Fide.

Paullus de Gisbice Patric.
Prag. P.C.



MAGDEBURGI,

Typis Andreae Dunckeri, ANNO

M. DC. II.

ALBERTO VOITTO Bor.
U. doctiss. et fidei exqisito
Bil. mittit.



CLARISSIMO ET

PRÆSTANTISSIMO VIRO, DN. DA.
vidi Origano Glacensi, Mathematicum Professori Pu-
blico in Academia Francofurtanâ, amico & Fau-
tori meo colendo S.



Go verò CL. & Doctissime vir, amice & fautor plurimum colende, cum omni be-
nivolentiâ & humanitate exceptus pri-
mam laudis & honorum adoream à Te
adeptus sim, quid pro illis beneficijs, præ-
ter vota & Musas meas reponam, non habeo. Ne itaq;
summam laudis & immortalitatis regiam nunc in-
gressus, planè oblitus omnium officiorum videar, exi-
le adhuc aliquod talionis specimen commonstrare vo-
lui, donec progressu temporis aliquando, Deo favente,
aliquid laudatius, lectuq; dignius expromam & red-
dam. Quare hæc qualiacunque Melismata, in itinere
Italico ad amicos scribta accipias & boni consuals ro-
go. Valeat T. H. meisq; conatibus faveat. Stendaliæ
Veteris Marchiæ, Mense Ianuario, Anno regnantis
gratiæ 1602.

*Barptolemaus Bilovius à Bilovv,
Sacri Palatij Comes.*

AD M. DAVIDEM ORIGANVM
Mathem. Prof. sup. in Acad. Mar-
chicâ.



*Rte Mathematicâ qui mitis O R I-
GANE clares ;
Cujus Olympiacâ Sidus in arce mi-
cat :*

*Ad Latias, cecini qua, cum profuiscer-
rer oras,*

Hac Tibi de Musis sancio metra meis.

Si te sacra juvant Phœbi ; Meletemata letus

Accipe, mansura pignora amicitia.

Te duce enim primos Sophiæ sum nactus honores :

Ex humili surxi nunc magè ad alta gradu.

Sic calcaria mihi non contemnenda dedisti !

Immemor officij Pieris esse nequit.

AD RVDOLPHVM II. Imperat. Rom.

Q*uod mihi Casario commissum est munere mu-
nus,*

RVDOLFE, imperij qui moderaris opes :

Hoc tua magnifico clementia robore firmet.

Sic tibi gratificâ mente fidelis ero.

Ad Philippum Ludovicum, Comitem Palati-
num Rheni, Ducem BAVARIAE, Co-
mitem Veldentii & Sponhemij.

Inclute Dux, auri grandem pro carmine massam
Mittis, & obfertur grande favoris opus.

Grata fuere mihi, rursus qua dona dedisti:
Gratius at mihi id est, quod mea Musa placet.

Ioanni Henze à Blanckenburg Crucigero-
rum cum rubeâ stellâ per Polon. & Siles.
Magistro Supremo &c. Mæcenati suo.

Si quod, Fautor, habes Rhodomellæ munere dignû,
Da precor; augebit munus id ignis opes.

Hoc Domine linguam victuri pignus amoris,
Filius amplexu dum trabor, atq; animo.

Teutonia saluum si me dabit Italæ tellus,
Grataq; si dignum terra datura locum:

Tunc solitos repetam veluti rediurus amores,
Dignum promiturus virgine, dulce melos:

Quale Poëtarum cecinit vix ullus amantum
Fungeturq; toro Diva tenella meo.

Ad Domine felix Te Hymenæia festa vocabo;
Non aberit vatum tota vocata cohors.

Lux ea maturans ortum procedat Olympo!

Faustiter intereâ, Magne Patrone, Vale.

In Symbolum Meum

Spes mea Christus erit, Durum Patientia
vincet.

Vana salus hominum est! miseris qui fidit ho-
mullis,

Errat, & aeternum nescit amare bonum.

CHRISTE Tibi soli fido; spes unica Christe
Sis mihi, & in dubiis ancora firma malis.

Te Duce sic quaeris patiendo animosus acerba
Fortiter evincam. Te Duce victor ero.

De vitæ humanæ instabilitate.

IN terris si nulla mihi duce Numine sedes,
Nec certus, stabilis, perpetuusq; locus:

In celis mihi erit quondam certissima sedes,
Et certus stabilis, perpetuusq; locus.

Hanc patriam quaerens mundi vaga regna relin-
Et poterò nullis sic caruisse bonis. quam.

Andreae VVencelio S. Th. D. & P. L.

LAetor! ad Ausonias VVENCELI nobilis oras
Me procul à vobis currus & aura trahunt.

Te commendo Deo cum prole: beatiùs auras
Ducas vitaleis, serus ad astra migres.

Me commendo tuis, & quæ grex cunq; piorum
Ad summum fundit publica vota Deum.

Marchia quem vatem contempsit, ad astra levabit
Extera, & optatâ terra levabit ope.

CUNRADO RITTERSHVSIO I. U. D.

Prof. & Antecessori in Ac. Al-
torfianâ.

ORITTERSHVSI, custos ficiissime Juris,
Quod Norica audiunt docentem pulpita:

A 2

Orbe

Orbe peragrato qui nunc redit annus in orbem,
Adportet ille leta vobis gaudia.
Et quoniam Latio sum salvus ab orbe reversus,
Morâ fugatâ Te videre gestio.
Sacra dies Veneri Clariis fulgebit in antris,
Sacrata Musis quæ, sacraanda Apollini:
REICHIVS Aönidum quâ dono & carmine dives
Ditabitur Lauru virente Delphicâ.
Obstant idcirco non arduiora Themistos
Si Te negotia, sive res domestica,
Huc adsis censor, devotâ mente rogamus,
In acriore Candidati Examine,
Finitoq; illo, laudes in Numinis, ornes
Præsentiâ hunc actum tuâ Poëticum.
Gratus erit quondam Vates, Vir clare, novellus:
Nos pollicemur usq; gratitudinem.
Interea flore cum prole & conjuge: Vestram
Nunc anxie expectabimus præsentiam.

AD IOANNEM CHVNRADVM RHV-
melium Ph. & Med. D. & Poëtam CL.
Physicum Novof.

Tres proclamavi, RHVMELI, hoc mense
Poëtas:

Principio primus carmine promptus erat.
In medio alter erat generoso carmine dives:
Tertius ultimâ erat luce Poëta bonus.

O phæ.

*O Phœbus faueat, namq̄ omen inesse videtur:
Explicet uberiùs quòd tua Musa joco.*

AD M. DAVIDEM ORIGANVM Gla-
censem, Mathem. CL.

SÆPÈ etiam latitat Musa optima: Musa P O-
LENI

Hactenus obscuro lumine tecta fuit.

Is tamen haut posthac Musa bonitate latebit,

Illius at laudes dicet Apollo breui.

*Vestra fovet tantum quòd ORIGANE Musa
Lator, & illius lator Amicitia. (Poëtam.*

MATTHIAE PLATONI, Ecclesiarum Ele-
ctoralis Palat. Sup. in Bav. Inspectori
Gen. Amb.

LVx Tibi sacra PLATO tremulo fulgore
coruscat,

Nominis en absens sum memor usq̄ tui.

Vota fero: Vxorem, fova, Te cum prole gubernet:

Det quoq̄ natales sepè redire dies.

IN ALBUM M. LAVRENTII

Bruschij Egrani Ecclesie Enneapyr-
gensis ad Silvam Gabretam Pastoris,

& vicinarum Inspect.

Poscis amicitia caussa quò nomen in album
Inscribam, BRUSCHI; quod petis, ergo cape.

A 4

Perpe-

Perpetuò veluti floret viridissima Laurus:

Floreat eternùm sic quoq̃, noster amor.

Christophoro Geewaldo, J. V. D.

& Bav. Ducis Confil.

Nobilis Aönidum Themidosq̃, GEVVALDE sa-
cerdos,

Fac Monachii pateant mœnia polcra mihi.

Cæsarium adloquio nec dedignare Poëtam,

Da sermone tuo vescar & intuitu.

Sic aliquandò tuas celebrabo carmine laudes,

Nec Tibi dedecori nostra Camèna siet.

Te cum Menzelio præclarus Belga salutat:

Fertur amicitia sidus uterq̃, tuæ.

Ad Bernardum Prætorium Chattum. P. L. &

Reip. Norib. Synd.

BILO tuas gestit PRAETORI visere Musas,

Vescier & visu conloquioq̃, tuo.

Mox adero, si te vacuum brevis hora videbit:

Dein pestis subito cogor abire metu.

G. Martinio à Baldhofen/Sil. P. Cæs.

Fratri.

Sic tua vere novo Laurus generosa salubreis

Suppeditat fructûs, ingenioq̃, decus!

Mellia Pierio promissis manantia succo

Carmina, quæ Critici comprobant ordo chori.

Non volgare canis, sed spernis tale poëma:

Quæ canis, etatem, non sine fruge, ferent.

Pera

Perpetuo fulges virtutis & artis honore,
Et gemina ostendis nobilitatis opes.
Major eris quondam majori ornatus honore,
Tardior annorum cum dabit hora moram.

In insignia M. Davidis Origani.

Gryphs veluti ponit nidos in montibus altis,
Et loca perspicuo lumine cuncta replet:
Cernit ORIGANICVS sic sidera euntia supra,
AEmulus ingenij Lathmie culte tui.
Hinc nitet in clypeo merito Gryphs: CAESAR, a-
Clare, magis potuit quid dare conveniens. (mice
ARNOLDO CLAPMARIO BREM.

P. L. & Prof. Norico.

Et tandem variis sudoribus exantlatis
Praemia Castalidum digna labore capis.
Namq; Professores Te collocat inter honores,
Quos fovet Aonio Villa Vetusta sinu.
Historias magno laudis profiteris honore,
Promis & ingenij flumina larga tui.
Eloquij miretur opes, oratio praesens
Cui visa, expressit quam Noriberga typis.
Sic ARNOLDE tuam Spartam, quam nactus es,

orna:

Perpetuale Tibi crescet ab arte decus!

De seipso, ob absentiam
amicæ.

SUA

Suaviter ambibat compes me Cypria quondam,
Virginis & rosea totus amator eram!
Luminibus fluvius ridebat piscifer, hortus
Et Rhodomellæus fruge refertus opum.
Mutia letitiam pariebant vina sapore,
Vtile delictum polcra videre fuit.
Musica cum citharis cupidas demulset ut aureis,
Plauserunt miris pectora nostra modis.
Adficitur nullo jam delectamine pectus;
Quid tum? nec letum me Venus ulla movet.
Tædet amare rosas, si quas laudavimus ante,
Conloquij valeant dulcis aroma sales.
Non quod amabilitas rerum nunc exsulet à me:
Sponsula, proh, mea, mens quâ capiatur, abest!
IN ALBUM M. CHRISTOPHORI REI-
chii Fr. P. L. & Sc. Novof. Rect.

Ergo quid inscribam nivium tibi carmen in
album,
Cum desint Claria non tibi divitiæ?
A propriis opibus nomen tibi finxit Apollo:
Hinc polcri dextrum nominis omen habes.
Addo manum saltim, cape quam, cordisq; penitral:
Quod, quamvis pereant carta manusq; manet.
Iacobo Fabricio Rostoch. P. L. & Med.
Candid.

Enthea

E Nthea Martini tibi carmina dono FABRICI,
Quæ Gelo Mellæus condecoravit amor.
Ocia si fuerint, ea pellege: dicitur: multis
Vatibus an non sint anteferenda mele?

M. Davidi Origano Prof. Francof.

*Q*uæ mihi mittebas nuper, Vir Clare, PO-
LENI

Carmina, jam gratâ mente remitto tibi.
Semina curarum minuerunt, turbida mentis
Nubila: tamtus inest cum gravitate lepor!
Si movet & recreat nervosa Camæna legentem:
Hac meritò lector, cur teneatur, habet.

Henrico Salmuth Feudorum in Superiori
Palatinatu Electorio Præposito
Ambergæ.

*Q*uæ mihi misisti Lauru Peneide digna
Carmina, Pieriæ magne sititor aquæ,
Ampliter hæc nivium demonstrant pectus amici:
Candidius quo quid, nescio, an esse queat?
Spes mea Christus erit; Durum Patientia vin-
cet:

Symbolon exornes hoc, SVLAMITHE, modis.

GEORGIO GAVGLERO, Secret. Palat.
S. Poës. Cand. & N. P.

Quos

QUOT NEOPYRGA mila femellas continet, ecce,
Tot, GAUGLERE, bonos continet illa viros.

M. Georgio Zeschlino Laving.

VRBUS haec parva, malas sed continet ista puellas,
Femellasq, viros quae cruciare solent.
Ast ZESCHLINE tua est, inter polcerrima cunctas
Lux radiosa viri, crux & amica viri.

In Album M. Michaelis Seldi Co-
burg. Fr.

QUEM mihi misniacis Musarum junxit in oris
Ardor, amicitiae gemmula SELDE mea:
Firmiter antiquus perstat, constansq, manebit,
Desinet & nullo tempore noster amor.
Faedus amicitiae raro sentire ruinam,
Quod juvenes inter jungit Apollo, solet.

In Album Leonhardi V Vinteri, Heid.
Pal. LL. St.

MORTALEIS Sors mira rotat variabilis aevi:
At tenor in melius cuncta citatus agit.
Sit tibi Bruma licet, brevi erit formosior aetas,
Qua capies curis praemia digna tuis.

GEORGIO FROLICH, LAVINGANO SECRET.
Palat. Neub.

HEIC per tres luces fausto nunc sidere vixi,
Nec potui Musas cernere, LAETE, tuas.

FEN.

*FENDIVS hospes erat, RESCHINGEDERVVS, &
Conloquiū, vates, HEVCHELIVS q̄ meū. (mârū
O letam, mi LAETE, tuam prius ipse viderem
Si faciem, hoc possem letus abire loco.*

Eidem.

*Crede mihi, vates dixit Bilovius ipse,
Si non vis vati credere, crede mihi.*

Reschingerus.

*Ad Gasparem Dornavium, Var. S. Poës.
Cand. & Philiat.*

*Q*uas benè tornatas mihi das, DORNAVE, Ca
Ingenij produnt signa probata tui. mēnas,
Autē aliquid tandem vivaci nomine dignum,
Vernalisq̄ comā floridiore Daphnes.
Scilicet haut prodest, quamvis generosa, tene
bris

Abdita Musa : parit gloria viva decus.

*In Album Georgij Malleoli Neagoræi
Palat. S. Poës. Stud.*

*M*ellia mellito te carmine Pieris ornat,
MALLEOLE, egregia spes bona frugis ad
Quod facis, Aōnias contende adamare sorores: (est
mellius & perpes fructus amoris erit.

*M. Samueli Glasero Vu. Misnico, Medicinæ
Cand. & Poëtæ eleganti.*

Quam

Quam GLASERE tua mihi consuetudinis usus
Acceptus fuerit, carta loquetur anus.

Vnius junxit nos conversatio mensa,

Heic ubi Lipsiacos lambit Elyster agros.

Nunc quia disjungo mea pectora, fida Bilovi

Te jubet in longos Musa valere dies.

Contractum vigeat fœdus; feliciter augmen

Sumat, & invidia spernat ubiq; minas.

Vatibus & Medicis qui præses Apollo; medendi

Vsum te docuit; carmina te docuit.

Ille tibi geminam Lauri de frunde coronam

Nequet, & adscribet Te quoq; Semideis.

In Symb. Frid. Georgij Schrot Novof. N.

Pub. Omnia Orta Occidunt.

Prorsus in humanis nil est durabile rebus!
Sic Occidunt Orta Omnia!

In Album Philippi Heinischij, Augustani.

Magni docta patris suboles hanc accipe dextrâ:
Pectoris huic jungo candida signa mei.

Ludovico Heinischio, G.F.

Sit LUDOVICE tibi felix hic annus: Jova
Conatus, opto, dirigat usq; tuos.

Numinis in laudem vergant studia atq; labores:

In senio ut capiat gaudia uterq; parens.

Salvor Fide, Virtute Ovo.

Symb. Samuelis Fickenvirth Olsnic. Var.

Salv

*S*ALVOR, *CHRISTE*, fide, mihi quam largitus
es; auge:

Hinc Virtute, tuo Numine nixus, Ovo.

In Album Petri Iutrebocensis.

*S*is hilaris, mi *PETRE*, Deo sis gratus & omni:
Quale tuum pectus, Gratia tale gerit.

In Album Theodori Nietij Stendal.

*D*VM *Clarij THEODORE* Dei decerpis odores,
Nobile qui vita frugis aroma ferunt.

Felix iste labor. Claras sectare sorores:

Sic tibi Parnasi non grave fiet iter.

Arnoldo Kieritz Stendal.

*S*is humilis, patiens, *ARNOLDE*, fidelis, amansq;
Numinis, & Musis strenuus invigila.

Sic dederit ceptis successus fova secundos:

Et tuus insigni lumine fautor ero.

IN ALBUM ABRAHAMI VVOLFROMII
Friberg. Misn.

*N*omini inest, *ABRAHAME*, tuo felicitus omne:
Nomine non tantum, sed quoq; re bonus es.

Sis pius, & studio virtutis ad atria tende:

Sic te conspicuum fama levabit humo.

Immortalitas Vera Virtute Fulget.

Symb. IACOBI VVOLFROMII Friberg;

Sunt bona fortuna non contemnenda, vigentis

Nec corporis praeclara dona Numinis. Cuius

*Cuncta sed hac fugiunt variis obnoxia damnis :
Virtute Verâ Fulget Immortalitas.
Virtus nos superis conjūgit & addit Olympo,
Expers ruinae quæ meretur gloriam.*

EPIGRAMMA AD
MAGNIFICVM ET NOBILEM VIRVM,
Dn. Barptolomæum Bilovium, à Bilov, Comitem,
Palatinum, Equitem Auratum, & Civem Roma-
num, &c. Dominum suum co-
lendum.

S I mihi fortè DEVS nunc diceret, Elige quidquid
Ex votis animi quæris habere tui:
Non Libyæ pecudes, Rhodij non divitis imbrem,
Non & Luculli, Pontificisq; dapes:
Non quoq; fecundis flores in vallibus Enna:
Eligerem numeros, Vir Generose, tuos.
Hos quia cum docili percurro pectore, summis
Ipse mihi videor raptus adesse Diis.

*M. Joannes Philippus Vollock, Pastor
Ecclesie minoris Ottonia &
Poët. Cæs.*

Aliud Monostichon de Viro illustri Bilovio, &c.

*P*hilosophum, simul Historicum, magnumq; Poë-
tam,

Nomine vis uno dicere? BILOVIVS.


M. Vollock, P. C.

Ja 2400

ULB Halle

3

003 919 226




Sb.

WMT

ma







BARPTOLE⁹
MAEI BILOVII

EPIGRAMMATVM

LIBELLUS XXI. ¹⁵⁷³

In Symbolum Bilovianum.

Spes mea Christus erit: Durum Patien-
tia vincet.

BILOVII in CHRISTO dum spes est fixa Poëta;
Atq; animo atq; anima consulit ille sua.
CHRISTVS in adversis illum haut succumbere
rebus,
Nec fortuna unquam ludibrium esse sinet:
Quin illi adsiduè durum patientia frangat,
Et regat hunc stabili spes solidata Fide.

Paullus de Gisbice Patric.
Prag. P.C.



MAGDEBURGI,
Typis Andreae Dunckeri, ANNO

M. DC. II.

ALBERTO VOITTO Bor.
U. doctiss. officia exq; sit
Bil. m. d. l.

